ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO, DOMINO *ALBERTO A LASKO, PALATINO Siradienſi, Libero Baroni in Rytwiany, Domino ac Hæredi in Keſsmarckt & Dunaiecz &ct. Domino ſuo gratioſiſsimo.*

Adamus Schröterus Sileſius &ct.

AMPLISSIMAM LAudem, atq; Auguſtiſsimã Medicinæ maieſtatem ſi quis conſiderare volet, Illuſtris Heros Alberte à Lasko, is animo reuoluat oportet, nõ modò antiquitatem eius, vnde omnium artium et ſciẽtiarum, dempta tamen ſemper Theologia, primas facilè obtinet: Verùm multò magis ineffabilem humani generis ex infirmitatibus tot ſpecierum, calamitatem, et nunquam ſatis deplorabilem miſeram: ac Diuinæ contrà miſericordiæ, et æternæ ſapientiæ incompræhenſibilem benignitatem. Ita ſiquidem futurum eſt, vt et Medicinæ, quæ ſolius Dei miſericordis immenſum donum eſt, dignitatem et amplitudinem rectè cognoſcat: et ea cognita, nõ temerè, non auarè, neq; indoctè, neq; illotis manibus: ſed

I. De Medicina in genere.